Ulyssēs et Polyphēmus

Ulyssēs prōgressus est.



Ulyssēs

Graecī sumus. Ā nōbīs Troia capta est. Nunc ad patriam redīmus. Uxōrēs līberōsque nostrōs vidēre cupimus. Iuvā nōs.

inquit.

Gigās nihil respondit.

Ulyssēs

Iuppiter hominēs miserōs dēfendit. Nōlī nōs interficere. Dī tē spectant.

addidit Ulyssēs.

Polyphēmus rīsit.

Polyphēmus

Dī igitur cēnam meam spectant.

inquit. Deinde rogāvit ubi nāvis eōrum esset. Ulyssēs, dolum timēns, respondit:

Ulyssēs

Nāvis nostra ā Neptūnō dēlēta est. Nōs sōlī effūgimus.

Polyphēmus nihil dīxit. Duōs ē Graecīs cēpit et in terram iēcit. Capita eōrum frācta sunt. Deinde eōs cōnsūmpsit. Cēterī nihil facere poterant. Territī amīcōs morientēs spectābant. Ūnus ad cāseum in terrā relictum spectāvit. Iam nōn erat laetus.



Ulyssēs et Polyphēmus

Cēnā cōnsūmptā, Polyphēmus lac bibit. Deinde inter ovēs dormīvit. Ulyssēs, gladium ferēns, ad gigantem dormientem accessit. Eum interficere cōnstituerat. Tum saxum cōnspēxit. Cum Graecī saxum movēre nōn possent, Ulyssēs gladium dēposuit. Scīvit sē dominō mortuō ex antrō effugere nōn posse.



Ulyssēs

Prīmum saxum movēre dēbēmus.



Comes

Cūr eum nōn interficis?

rogāvit comes.

Ulyssēs

Mortuus nōs līberāre nōn potest.

Comes

Vīvus quoque nōn vult.

Ulyssēs

Sciō.

Comes

Difficile igitur est bonum dominum invenīre.

inquit comes. Ulyssēs nihil respondit. Omnem noctem Graecī manēbant. Aliī gigantem dormientem spectābant; aliī saxum ingēns. Nēmō iam dōna cupiēbat.

Ulyssēs et Polyphēmus

Prīmā lūce Polyphēmus surrēxit. Ovēs ad mātrēs dūxit et lac in pōculīs posuit. Deinde duōs aliōs Graecōs cēpit. Ūnus ē cēterīs clāmāre coepit.



Polyphēmus

Cūr clāmās? Heri quoque cēnāvī.

rogāvit gigās.

Duōbus virīs interfectīs, cēnam parāvit et eōs cōnsūmpsit. Tum saxum facile mōvit et ovēs ex antrō dūxit. Exitum iterum clausit nē Graecī effugerent. Quattuor iam comitēs interfectī erant.

Comes

Nōn sum cēna.

Ulyssēs tamen novum cōnsilium quaerēbat. Mox pālum longum invēnit. Comitēs hortātus est ut eum gladiīs parārent.



Alius comes

Hoc opus mihi nōn placet.

Ulyssēs et Polyphēmus

Ipse pālum acūtum fēcit. Deinde eum in igne posuērunt.



Comes

Quid facere cōnāmur?

rogāvit ūnus.

Ulyssēs

Ūnum oculum habet.

respondit Ulyssēs. Comes pālum spectāvit.

Comes

Bonum est eum duōs nōn habēre.

inquit

Pālō parātō, Graecī eum cēlāvērunt.

Posteā Polyphēmus rediit. Omnēs ovēs in antrum dūxit et exitum clausit. Duōs aliōs Graecōs cēpit et cōnsūmpsit. Sex iam mortuī erant.

